

X. Ut stupenda in Rep. opera & toti Universitati salubria: ita & Libros Symbolicos, singularia afflatu Divino conscriptos & Ecclesiæ donatos esse, ob peculiaria Divinæ prvidentiæ documenta, & salutem totius Ecclesiæ, per illos promotam, piè dicitur, argumento loci Jud. III. 9. 10.

XI. Cujus rei & doctrinæ in Libris Symbolicis intuitu periculorum est, sine adjectâ declaratione eos Humana Scripta appellare: cum nec vocationem ad ministerium, si peculiaria Divini nutus signa appareant, humanam sed Divinam vocemus.

XII. Cum Augustanâ Confessione Concilium Tridentinum tam conciliari ac cum ipso verbo Divino nequit.

Diss. IV.

De

## Articulis Fidei.

I.

Fundamentum salutis Christus est, seu doctrina de gratuitâ remissione peccatorum, per meritum Christi factum apprehensum; quæ vera est & nulli fraudi obnoxia fundamenti acceptio. Eph. II. 20. I. Cor. III. 11.

II. Articulus igitur fidei est, quicquid in hoc fundamento continetur & sine quo hæc ipsa, quæ in fundamento continentur, neque intelligi neque procurari queunt.

III. Amor DEI & proximi, si veræ DEOque gratæ sunt virtutes, fundamentum jam constitutum consequuntur, tantum abest, ut fundamentum constituant.

IV. Nunquam Scriptura fidem, quâ fundamentum conferendæ salutis est, per amorem describit, sed semper per fiduciam apprehensionem gratiæ, merito Christi nitentis. Joh. I. 12. XVII. 8.

V. Augustini illud: *credere est amando in DEum ire, seu credendo DEum amare*, aut à formâ sanorum verborum aberrat, aut de effectu fidei, postquam jam justitiam constituit, intelligi debet. Gal. V. 6.

VI. Hæresis est error in fundamento fidei.

B

VII. Quæ